
NAZIONALE
EMANUELE

6
11-c
115



x Bibliotheca
jori Coll. Rom.
Societ. Jesu
7. 2. 2

6-11-C-115

11-C-21

22
C
34

SACER
PANEGYRICVS
Habitus in Metropolitano
Bononiæ Templo
AB EMINENTISSIMO
Ac Reuerendissimo D.
LVDOVICO
CARDINALI LVDOVISIO
S. R. E. Vicecancellario,
& Archiepiscopo
In Dedicatione Sacelli
S. IGNATII
SOCIETATIS IESV
Fundatoris
Latinitate donatus, & Notis auctus.



ROMÆ, Per Hæredem Barthol. Zan. 1630.
SVPERIORVM PERMISSV.


BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

A. Epiſc. Bellicaſtr. Viceſg.

Imprimatur, Fr. Antoninus Cell[illegible] Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. F. Nicolai Riccardij Sacri Palatij Apoſt. Mag. Ordinis Prædicatorum.

MARCVS GARZONIVS
SOCIETATIS IESV
Prouincialis Parmenſis


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Admodum R. P.

MVTIO VITELLESCO
Eiuſdem Societatis
PRÆPOSITO GENERALI
S. & F.



MINENTISSIMVS *Princeps* LVDOVICVS *Cardinalis* LVDOVISIVS *ſapienter quidem Roma receſſit, vt hanc Bononienſem Eccleſiã, ſuam ſponſam inuiſeret: non tamen aberrauit à ſua in Parentem noſtrum* IGNATIVM *pietate ſingulari, neque ab amantiſſima eiuſdem honores propagandi cupiditate. Quæ ſanè, vt otioſa numquam eſt, ingenioſa fuit ſacrorum ac nobilium*

operum artifex, quæ liberalitatis ipsius planè Regiæ sumptibus in publica luce tum Romæ, tum Bononiæ spirant adhuc, atque adolescunt. Quoniam verò quàm perspicaces oculos habet amor ad prouidendum; tam promptas exhibet manus ad occasiones aucupandas, vt quem amat, honoret: decreuit hoc anno Princeps optimus vnum è præcipuis huius ædis Metropolitanæ sacellis Patriarchæ nostro sanctissimo dedicare: eiusque anniuersariæ memoriæ octauam diem celebrare pompa, quæ conueniat Principi; & pietate, quæ deceat Cardinalem. Nobis verò concessit, vt sacra ipsa, & natalitia D. IGNATII *luce annuum ei venerationis tributum sine intermissione persolueremus, tum in vete-*

re

re nostri Collegij templo, tum in recētiore Domus Probationis eiusdem nomini consecrato. Cum igitur ego probè norim, honorum radios, qui ad augendū IGNATIANAE *gloriæ splendorem effunduntur, à V. P. benignè colligi, atque in thesauro cordis aptè recōdi: quemadmodum mearum partium esse censui, Parma proficisci Bononiam, vt amplissimis communis Parentis honoribus, & noua celebritate fruerer præsens; eorumque auctori benignissimo debitas pro tanto munere gratias saltem voce rependerem: ita non alienum à meo munere duxerim, V. P. breuiter enarrare, quid in solemnibus hiscè pompis, cum religioso plausu omnium, gestum fuerit ad eiusdem Sancti Institutoris nostri venerationem. Im-*

petrata precibus eiuſdem Principis Eminentiſſimi à Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano VIII. Pont. Opt. Max. in diem ab IGNATII *ſacra luce octauam plena, abſolutaque culparum indulgentia; edicto publico populus Vrbis, ac Diœceſeos inuitatus fuit; & data facultas, in octo dies futuræ celebritati præeuntes, probatis animorũ Iudicibus, abſoluendi ab omnibus cõſcientiæ vinculis, & cẽſuris ipſimet Archiepiſcopo reſeruatis: vt beatiſſimus animus, qui flagitioſis hominibus ad meliora traducendis tantum impenderat operæ, gauderet ea die videns agmina pœnitentium Deo reconciliata, & conſortio Chriſtianorum. Concurſus hominum non æquauit modo, ſed etiam vicit omnium expectationem.*

Multa

Multa ſiquidem millia tum in templo Metropolitano, tum in alijs præſertim proximis, animos confeſſione cum expiaſſent, vitæ panem ſumpſerunt, atque ad aram IGNATII *ſupplices confugerunt, vt indulgentiæ ſacro theſauro potirentur. Communem auxit religionem apparatus templi, quod eleganter vndique conueſtitum; in magno præſertim ſacello ad latus erecto, noſtrique Ordinis Conditori dicato, pulcherrimum ſui ſpectaculum faciebat. Erat hoc ſacellum à culmine ad pauimentum rubra veſte damaſcena aureis diſtincta tæniolis circumtectum, cuius in ſummo faſcia prætexebatur pijs, ac pulchris imaginibus ingenioſè picturata. Fornix inſtar Cæli ſuperimpendebat, di-*

scoloribus velamentis ex arte contextus. Ara vasis aureis, argenteisque onusta, veluti basis erat tabulæ recentis, ac scitissimè pictæ: vbi spectatur IGNATIVS *apertis vlnis excipiēs* LVDOVISIVM *Cardinalem, qui supplex, & flexis genibus Bononiensem Vrbem appictam eius patrocinio commendat: ille verò sanctimoniam spirat, pollicetur tutelam. Solemne sacrum peregit ipsemet Eminētissimus Præsul, accinentibus ex odæis Cantoribus lectissimis, ac musicis instrumentis suauissimè resonantibus. Idem interfuit sacris hymnis ad præcedentem, ac sequentem vesperam iucundissimè decantatis: atque vt vnum ex operibus viro Sancto familiarissimis instauraret; duodecim puellas liberali-*

ter

ter dotauit, munificè vestiuit, à præcipuis Vrbis matronis deduci voluit. Frequentissimum perpetuò templum fuit, matutino præsertim tempore, dum res diuina fieret, & sermo sacer ad Populum haberetur. Adfuit huic Eminentissimus Cardinalis Spada Bononiensis, pro Summo Pontifice Legatus, vnà cum Illustrissimo Magistratu, nobilissimorum Ciuium frequentia, populoque propemodum innumerabili. Ascendit præparatum, ac luculenter ornatum solium Religiosissimus Præsul; ibique considens sub vmbella, maiestate, quæ personam decebat, sed quam amantissima, suauissimaque in IGNATIVM *pietas, in Societatem beneuolentia temperabat, vtriusque laudes adeò ex*

proprijs, atque ad viuum expres-sit, vt suppar ætate, ac domesticus obseruator IGNATII *fuisse; suumque tulisse suffragium, ac manum admouisse videretur, ad instituti nostri tum informandam animo, tum opere perficiendam ideam. Vberrima voluptate perfusa omnium corda fuere ab eloquentiæ sacræ vena dulcissima, quæ vt cum maximè feliciter, & copiosè ab huius Eminentissimi Pastoris ore defluxit. Non tamen ideò sedata, sed accensa magis in omnium animis fuit sitis, paulatim ac per otium oculis regustandi, quod leuissimè fuerat, & cursim auribus delibatum. Quamobrem ego ardore illo succensus, qui corda natorum iusta inflammat cupiditate Pa-*

ren-

rentum gloriam illustratam videndi; post multas iteratas preces, atque obtestationes, humanissimo Principi tandem aliquando persuasi, vt ingenuum suæ modestiæ sensum posthabeat honori, qui redũdabit in IGNATIVM, *atque ingenti oblectamento, quo tum P. V. tum nos filij recreabimur, hunc sermonem spectantes in luce typorum, atque in vno capite Societati dicatum vniuersæ: per quam sacer hic Panegyricus circumferri non poterit; quin ad* IGNATII *venerationem, & gratum animum erga tam benignum, ac tam beneficum Principem ea vehementiùs inflammetur. Nullam equidem diem Ignatianis honoribus affulsisse credide-*


rim hac illustriorem, quæ ab eius luce sacra octaua, Bononiæ celebrata fuit; ea tamen excepta, qua triumphauit IGNATIVS *in Vaticano, cælesti Ciuitate donatus. Argumento sit illud inter cætera, quòd cum in tempus tantùm antemeridianum, seruilibus interdixisset operibus purpuratus Antistes; ab ijs etiam reliquo, ac solido die sponte abstinuere quàmplurimi; ab audito sermone in eam facilè perducti sententiam, vt maximè decorum esse crederent, vnam saltem integram diem eius cultui, gloriæque dicari: qui tam fructuosè in communem vtilitatem vitæ suæ dies cunctos impenderat. Quæ omnia cum secundùm Deum, XV. Gregorio*

Pon-

Pontifici Optimo Maximo felicissimæ recordationis debeantur; qui lucernam hanc ardentem, ac lucentem posuit super Ecclesiæ candelabrum: nec minus accepta referenda sint eiusdem Fratris Filio beneficentissimo animorum Pastori; qui ad sacras IGNATII *flammas, numquam extinguendas famæ suæ faces accendit: pro comperto habendum est, eumdem Parentem nostrum sanctissimum in hunc Eminentissimum Principem, eiusque totam Familiam Illustrissimam copiosa munera, & frequentia beneficia cælitus irroraturum. Quod ab eo nos omnes è Societate vnà cum P.V. assiduis, ac feruidis precibus exposcere debemus; vt tot, ac tam ingentibus*

pro-

promeritis partem gratiarum aliquam persoluamus. Vale. Bononiæ xiij. Kalendas Septembris. M.DC.XXIX.





DEVOTI cordis obsequium, quod iam inde ab ineunte ætate ingentibus meritis celeberrimi Societatis IESV Cõditoris IGNATII dedicaui; & ardentissima, qua flagro, cupiditas, vt eius tutissimo patrocinio salutẽ quisque suam, animumque commendet: quemadmodum hodierna luce mihi stimulos addunt ad eius eximias, cælestesque virtutes oratione vobis exponendas; ita persuadent, vt optem (quod in Epitaphio Paulæ Diui Hierony-

mi votum fuit) tot mihi linguas esse, quot membra.. Quamquam neque satis hoc esset: *Et si cuncta corporis mei membra verterētur in linguas, & omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum virtutibus eius dicerem..* Æquius nimirũ esset, vt in hoc theatrum, ac munus illæ descenderent hodie Mentes beatissimæ, quæ olim auditæ Romæ fuere sacrorum illius ossium translationem æthereis concentibus celebrare; ac pari meritis eloquentia laudes illas in terris exponerent, quas decantare solent continenter in cælo. Sed quando tam singulare munus diuinæ

S. Hier. epis. 27.

benignitatis eſt, non noſtræ dignitatis: illud ſperare ſaltem debemus, huic ſanctitate clariſſimo viro, cui potior fuit cultura pectoris, quàm ſermonis; ſtudium gratius fore quam verba, cor quàm linguam, voluntatem quàm opus. *Neque enim reſpiciet quantum, ſed ex quanto.* S.Greg.

Vt igitur ſanctitatis Ignatij, quàm accuratiſſimè poſſumus, ad viuum exprimamus effigiem; in ea ipſa exẽplaria mentis aciem defigemus, è quibus ipſe perfectionis lineamenta deduxit in ſeſe: ſuumque animum Diuinæ manus ope, atque opera, ad militantis, ac triumphan-

tis admirationem Ecclesiæ, colorauit. Tribus verò partibus omnia complectentes; inspiciemus initio, vti virtutes illas omnes, quas in præcipuis Christianæ sanctitatis Proceribus diuisas admiramur, in se vno collegerit, & cumularit Ignatius. Deinde quàm verus, atque perfectus Christi fuerit imitator. Postremò, quod inde consequitur, quantùm ei debeat & Christiana Respublica, & orbis terrarum vniuersus.

Et sanè, vt ad partem primo loco propositam mihi viam aperiam; exploratum omnibus fuit, ad Sanctorum virorum calcanda vestigia di-

rectũ à Deo fuiſſe famulum ipſius Ignatium; dum ab eorũdem vitis euoluẽdis exemplum eum ducere voluit ad corrigendam ſuam. Vt videlicet, apis more, ſuccum alicuius virtutis à ſingulis delibaret; in ſe coaceruans, & congerens, quidquid perfecti ſparſum erat in omnibus: conſilium ſequutus Hieronymi monentis: *Vt ab alio diſcas humilitatem, ab alio patientiam; hic te ſilentium, ille te doceat manſuetudinẽ*; quod fuit à me primo loco propoſitum, & iam ſuſcipitur explanandum.

Epiſt. 4.

Gemella ſanè fuit Apoſtoli Pauli, Ignàtijque ad me-

liora

liora conuersio. Ambo quippè nobiles mundi fuere milites ante, quàm Christi. Et quemadmodum Paulus diuinæ vocis ad tonitru, & lucis ad fulmen fuit ex equo deturbatus; vt de persecutore sectator, Apostolus ex hoste resurgeret: sic Ignatius in arce Pōpelonensi diuinæ veriùs prouidentiæ dextera, quam inimici tormentarij manu grauiter dextro in crure percussus, profanus, ac terrenus cecidit, & sacer, cælestisque surrexit: vt ad Ignatium traduci commodè possit Christi de Paulo præ-

Act. 9. conium. *Vas electionis erit mihi iste, vt portet nomen*

meum

meum coram gentibus. Siquidem Ignatius luteum vas antea fuit, rerum terrenarum plenum; poſtmodum verò vas aureum euaſit, atque vt in ſacris eſt litteris: *Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo*. Dignum ſanè, quod contineret in ſeſe, atque in mundum vniuerſum effunderet oleũ pretioſiſſimum nominis Ieſu: de quo ſcriptum eſt: *Oleum effuſum nomen tuum. Effuſum in homines, & in illos homines, qui computruerant tamquam iumenta in ſtercore ſuo*; quemadmodum Diuus loquitur Bernardus. Quare cũ eodem ad rem noſtram con- Eccleſ. 56. Cant. 1. Serm. 15 in Cant.

clu-

Serm. 1. n Conuersione S Pauli. cludere possumus. *Conuersus Paulus*; dicamus nos: *Conuersus* Ignatius *conuersionis minister factus est vniuerso mundo.*

Quoniam verò, vt Diuus Petrus Chrysologus asserit:

Sermon. 167. *Magisterij auctoritas constat ex vita; & docere factis sola est norma doctrinæ*; in voluntaria susceptione pœnarum, satis cõstat, Ignatio ad æmulandum sanctè propositum fuisse Ioannem Baptistam in eremo; quando saccus, cilicium, funes, catenæ, tormenta corporis illi fuerunt ornamenta membrorum. *Tali enim pœnitentiæ magister indui debuit vestimento*; quæ verba sunt eiusdem Chryso-

logi

logi. Aſpera, & ſanguinolenta flagella ſæpiùs quotidiè membris admota, copia lacrymarum, ſudores ac moleſtiæ peregrinationum ad Mótem Serratum, Romam, Hieroſolymam; totius hebdomadæ ieiunium aquã, & pane paſſim emendicato ſolutum; pro tecto ſpecus, pro lecto humus; illius commodá erant, atque deliciæ. Quamobrem etiam de Ignatio in aula Regis Catholici Ferdinandi tot illecebris ac blanditijs innutrito, ad tam rigidum deinde viuendi genus traducto, pronũciari poteſt, quod olim de Ioannẽ protulit, os veritatis, Chriſtus.

Matth. 11. ſtus. *Quid existis in deſertum videre? hominem mollibus ve-ſtitum? ecce qui mollibus ve-ſtiuntur, in domibus Regum ſunt.*

Cum adeò rigida pœnarum aggreſſio faſtum exuiſſet, ac ſuperbiam exarmaſſet omnem in Ignatij corde; facile admodum ei fuit cum animi demiſſione coniungi. Qua nō inferior humili corde Franciſco viſus fuit Ignatius. Nam ſi de illo Diuus Bonauentura teſtatur, huius virtutis inſtinctu, moriētem cum in nuda humo decumbere voluiſſe; hic & viuens, & moriens de ſe ita ſenſit abiectè, vt optaret in fimo ſepeliri.

peliri, vbi ſimul memoria, ipſius omnis tumularetur. *O humilitas, quæ nec poſt mortem deficit*; exclamari meritò poteſt cum Chryſoſtomo, de Ignatij demiſsione. Verùm qui *exaltat humiles* Deus, pro tam vili tumulo, quem elegerat, funus ornauit illi triumphale, quod meruerat. Dum enim ſacra ipſius oſſa transferrentur, ſupra pheretrum, vel potiùs triumphi currum, aſperſit aſtra pro floribus. Vt eorum luce declararet, non minus illum, quam Ioſephum fuiſſe promeritũ ab immortalibus illis luminibus adorari, quorum ad exemplum eius virtutes

S. Chryſoſt. homil. 54. in Mattheum.

in huiuſce ſæculi nocte fulſerunt. Quod ſi ſtellarum ortus Solis deſignat occaſum; animum Ignatij Solem fuiſſe quis neget, cuius poſt exceſſum è corpore, aſtra dederunt ſui tam illuſtre ſpectaculum? Aut etiam dicamus, nec minus verè; his Cæli luminibus in Ignatio Parente religioſæ familiæ alios erudientis, comprobatum fuiſſe Danielis illud oraculum:
Dan. 12 *Qui ad iuſtitiam erudiũt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Demiſsio hæc animi in Ignatio profundiſsima, Caſtitatis quaſi ſatelles, aut cuſtos corporis fuit. Humili-

tas enim *custos pudicitiæ* dicitur à Bernardo. Fuit verò in Ignatio Castimoniæ virtus numquam violanda; quæ, si ab Angelo Angelico Doctori Thomæ Aquinati fuit impertita, dum hic sacrum ab eo cingulum, huius symbolum virtutis accepit: Ignatio concessa fuit ab ipsamet Regina virginitatis, eiusque Virgine Filio; cũ ex eo tempore senserit omnem cupiditatis impuræ scintillam in se prorsus extinctam. Quapropter ad exitum vsque vitæ in carne vixit, tamquam à carnis concretione seiunctus, atque instar purissimi spiritus; quemadmodum pri- *De ord. vit.*

ſcis illis Chriſti ſectatoribus dixit Apoſtolus. *Vos autem in carne non eſtis, ſed in Spiritu.* Feliciſsimam enimuerò prærogatiuam, & maximè ſingularem, vt Diuus Bernardus ait: Liberum eſſe *à ſtrepitu diabolicarum ſuggeſtionum, à ſtrepitu carnalium deſideriorum, à ſtrepitu mundi. Felix anima, quæ linguas iſtas non exaudit, audiat licet; illa multum felicior (ſi tamen aliqua eſt) cui penitùs non loquuntur.*

Ad Roman. 8.

Serm. 1. de Sanctis Apoſtolis.

Talis verò fuit Ignatius, qui tantum theſaurum perfectiſsimo ſtudio Paupertatis Euangelicæ muniuit; ab omnibus mundi cupiditatibus

auertens animum; adeòque sese grauioribus culparum periculis liberauit: Cùm Diuus Basilius aurum appellet: *Blandissimum animæ insidiatorem, parentem peccati, ac Diaboli administrum*. Nec soli sibi Paupertatis virtutem arctissimo complexu iunxit Ignatius; verùm suis quoque posteris tamquam Parentem amandam in Constitutionibus proposuit ijs verbis. *Diligant omnes Paupertatem, vt matrem*. Id ipse, sicut cætera, prius præscripsit exemplo, quàm præcepto. Quòd si Diuus Martinus propterea dignus fuit cælesti præconio, quod chlamydis suæ partem lar-

Epist. ad Chyl.

Constit. pars 5. cap. 1. §. 25.

largitus est inopi, dicturo: *Martinus adhuc cathecumenus hac me veste contexit:* non minorem emeruit laudem, Ignatius, qui cùm primùm nouum induit hominem, non modo sua omnia ad intimũ vsque amiculum exuit indumenta, ijsque pauperis hominis nuditatem vestiuit; sed etiam Christi causa diuitias reiecit omnes, ac mendicato victitãs, in Ordinis sui viscera trãsfudit illum Apostolicæ spiritum Paupertatis, qui adhuc in eo viget, ac viuit.

Abrahami, filium suum Isaac immolare à Deo iussi, Obedientia meritò celebra-

tur; quamquam sacrificium illud semel peractũ fuit ministra voluntate, non ferro. At Ignatius ibi maximè obsequens, vbi minimè facile obsequium erat; ad arã Obedientiæ sæpè mactauit Deo, velut animi sui primogenita, intellectum, ac voluntatem. *Per victimas* (Diuus inquit Gregorius) *aliena caro, per Obedientiã verò volũtas propria mactatur.* Quarè mirum non est, si facilè perduxit ad exitum ardua, & laboriosa negotia fundandi, ac propagandi per mundi partes vniuersas, non tam Societatem suam, quàm Catholicam fidem: cum Diuini spiritus ea

Moral. 35. cap. 10.

 sit

Prou.c. 25. ſit vox. *Vir obediens loquetur victorias*. Non ſolùm *quia* (quemadmodū ibidem ſubdit Gregorius) *dum alienæ voci humiliter ſubdimur, noſmetipſos in corde ſuperamus*; verùm etiam quia coronarum illuſtrium, atque palmarum, quæ decerpuntur in Chriſtiana Religione, fœcunda Parens Obedientia eſt. Idcircò cùm de Chriſto dixiſſet Phil. 2. Paulus: *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autē Crucis*; adiecit: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper* Serm. de Aſcenſ. Domini. *omne nomen*. *Hæc* (ait Diuus Cyprianus) *eſt merces Obedientiæ Chriſti*. Et nos feliciſ-

 ſimum

ſimum exitum rerum præclarè ab Ignatio, eiuſque inuicta Societate geſtarum abſolutiſſimę Obedientiæ, quã ipſa profitetur, optimo iure tribuimus.

Gratiſsimum Deo eſt Obedientiæ Sacrificium, ſi tamẽ Charitate condiatur. Nam ex Diui Ephræmi ſententia: *Amor eſt ſal omnium virtutũ*; ac potiſsimum Obedientiæ, quæ nec ſapit, ſine amore, nec viget. Ignita opus eſſet Ignatij lingua, ad eius explicandã ardentem maximè Charitatem, illius æmulam, quæ in Mariæ Magdalenæ pectore olim exarſit; adeòque magni teſtimoniũ *In Paræn. de Charit.*

amoris retulit ab integerrimo Iudice Charitatis Christo: *Quoniam dilexit multum.* Charitas persuasit Ignatio, vt tam auidè, quàm frequenter in Palæstinæ regione plenã discrimidũ Martyrij palmam indagaret. Quamobrem in eum benè conuenit illud Diui Bernardi præconium. *Et si non semel effectu consummatæ passionis, sed toties Martyr fuit affectu deuotissimæ voluntatis.* Charitas terrã vniuersam præ Cælo despicabilem videri fecit Ignatio; qui noctibus integris cælestes orbes, atque astra contemplans, illas iterabat voces: *Heu quàm sordet terra, dum*

Luc. 7.

Serm. de S. Martino.

Cæ-

Cælum aſpicio. Charitas illius corpus ſuſtollens, ac lumine circumfundens; corde, labijſque Seraphicis ad animæ ſuæ dilectum exclamare cogebat: *O Domine, ſi te homines noſſent!* Charitas illum à ſenſibus abalienans, Ignatium rapiebat Ignatio: adeò vt aliquando dies ipſos octo in ea mẽtis abſtractione tranſegerit; cùm vulgò crederetur extinctus, viueret autem in eius ſinu, qui vera eſt vita; cæleſtisqe Spõſæ priuilegio frueretur, de qua ſcriptum legimus. *Nè ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit*. Charitas denique iuſsit Cant. 2.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ignatium tam incensis exoptare suspirijs columbæ pennas, quibus ad summi boni castissimos, æternosq. complexus euolaret; vt ad omnia morborum tentamenta, velut instaret hora Dominum, ac Redemptorem suum cōspiciendi, abductus à sensibus, & mortem illa mortis imagine præueniens, cum inusitata dulcedine raperetur in Deum; quasi Regio

Psal. 54 cum Vate clamaret. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam!* Co-

In eundē Psal. *lumba enim pro signo dilectionis ponitur*; vt Diuus asserit Augustinus: atque Apostoli

Phil. 1. dicto respondet: *Desiderium ha-*

habeo dissolui, & esse cũ Christo.

Amore, quo flagrabat Ignatius in Deum, metiri licet, qua æstuabat in proximos, Charitatem. Mundum ipse totum animo complectebatur, ac votis: inexhausta siti salutis omnium ardebat; & Christianorum hominum cælestis boni nõ secus auidus erat, ac si cuiusq. parens fuisset. O quàm appositè cadit in Ignatium, quæ Paulo Apostolo tributa fuit à Chrysostomo laus. *Diuina illa anima vniuersum terræ orbem circumplexa erat, & in se ipso circumferebat omnes; omnes amabat, vt si genuisset; quin potius maiorem præsiferebat* Proëm. in epist. ad Rom.

bat Charitatem, quam quiuis Pater. Et ſanè, teſte Hieronymo: *Nihil imperioſius Charitate.* Quid enim hæc ad animorum ſalutem non imperauit Ignatio? quas illi non monſtrauit vias? quibus eum periculis non obiecit? in quas calumnias, odia, proditiones non adegit? Et tamen numquam animis cadens, imò magis magiſque viribus, ac robore ſemper inualeſcens, atque ab iniuria fortior, cum eodem Hieronymo pronũciabat alacriter: *Gratias ago Deo meo, quod dignus ſim, quem oderit mundus.* Percuſſus ille fuit ab hominibus, inferniſq. hoſtibus, adeòque in mortis

Epiſtol. 141.

Epiſtol. 99.

vi-

vitæque confinio derelictus, eiectus ab vrbibus, catenis oneratus, compedibus obstrictus, horridisque carceribus inclusus, eam solùm ob culpam, quod omni conatu multos reuocaret à culpa, vocaret ad Deum. *Et cum liber essem ex omnibus* (poterat cum Apostolo profiteri) *omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem*. Hoc est (vt interpretatur Chrysostomus) *non vni seruiui, sed vniuerso orbi terrarum*. Sic etiam Ignatius sine vllo discrimine personarum, igne suo fouēs omnes, tam vniuersè beneficus fuit, vt *non esset, qui se absconderet à calore eius*. Adeòque prolixus

1. Cor. c. 9.

In eam. epistolā hom. 22

Psal. 18

fuit

fuit in ſuæ Charitatis radijs effundendis, vt qua nocte moriebatur, vitalem hunc ardorē ſpirarit cum vltimo ſpiritu; ac priùs vitam amiſerit, quàm amorem. De Moyſe à Deo dictum accepimus: *Moyſes ſeruus meus mortuus eſt*. Idem de Ignatio poteſt affirmari: cum nihil id ſignificet aliud, interprete Caietano, niſi; *Mortuus in ſtatu ſeruitutis meæ. quidquid erat, quidquid operabatur, meū erat. ſeruus enim totum quod eſt, Domini eſt*.

Ioſ. 1.

Ibid.

Denique ſi tantum admiramur Sanctos illos viros, qui fuere miraculis illuſtriores; vti Thaumaturgum Grego-

rium, & alios; non est ab hoc numero segregandus Ignatius. Siquidem præter alia multa, quæ diuersis in locis & dum viueret, & post obitum prodigiosè patrauit: in solo Hispanico Regno tres vita functos reuocauit ad vitam, vnum Barcinone, Monobrigæ duos. At ego miraculorum omniũ maximum fuisse miraculum Ignatium ipsum crediderim: quemadmodum in rem nostram opportunè de Diuo Malachia Bernardus pronunciauit: *Primum, & maximum miraculum ipse erat.* *In vita S. Malach.*

Iam verò, si cum insignioribus Christianæ Sanctitatis He-

Heroibus cōparatus animus Ignatij tam ſpecioſus, & ſpectandus apparet, quanto clarior eius præſtantia enitebit ac forma, ſi Chriſti perfectum eum fuiſſe imitatorem oſtendemus? Quod ſecundo loco tractandum propoſuimus: Non poteſt hæc laus, tamquam exaggerata, redargui: quando Chriſtus ipſe ſuos ad hoc faſtigium ijs in-
Matth. 5. uitauit verbis: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt.* quod de ſimilitudine, non de æqualitate debet intelligi. Qua ratione Diuus etiam Paulus Corinthijs di-
1. Cor. 4. xit: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

In ſtabulo natus eſt Chriſtus. Et Ignatius quamquam cõmodiore paternæ domus in parte poterat in lucem edi; ob maternam tamen erga præſepe Domini Religionem, ipſe quoque natus in ſtabulo eſt: ne videlicet clariores haberet Societatis Ieſu Conditor, quàm Ieſus ipſe, natales.

Chriſtus annos natus triginta, Baptiſmi lauacro fuit à Ioanne perfuſus. Ignatius eàdem ætate, Baptiſmo pœnitentiæ, à fonte lacrymarum abluit ſeſe: de quibus cum Diuo Leone dici poteſt: *Felices lacrymæ, quæ virtutem ſacri habuere Baptiſmatis.* Atque *Serm. 9 de Paſſione Domini.*

in

in has quidē aquas adeo postmodum se mersit Ignatius; vt oculorum vsu sese orbaturus fuisset, nisi rogatu suorum, potestatem in eas poposcisset, atque impetrasset a Deo. Et vero Ignatij reseruandi erant oculi, quasi vigiles duo ad explorandas Ecclesię necessitates, ac totidem veluti naucleri ad animos in portum salutis dirigendos.

Duodecim Christus elegit: *quos & Apostolos nominauit*. Primi etiam Socij, quos cooptauit Ignatius, in Lusitaniæ Regno passim Apostoli nominabantur: quos inter Franciscus ille Xauerius Apostoli titulo ab vniuersa Chri-

Luc. 6.

ſtiana Republica cohoneſtatur. Quòd ſi ad homines piſcandos miſſi fuerunt Apoſtoli a mundi Seruatore,cum diceret; *Euntes in mundum vniuerſum,prædicate Euangelium omni creaturæ:* Eius imitator Ignatius in Vrbes, Prouincias, ac Regna, ad Chriſtianos, Ethnicoſque homines tranſmiſit Socios, tanto prouentu, vt in animorum piſcatione,*pro retibus mores habentes, cõcluſerint piſcium multitudinem copioſam.* *Marci 16.* *S. Iſid. Peluſ. lib. 2. epiſ. 51.*

Chriſtus palam profitebatur. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Et Ignatius à ſuo nomine admonitus,eundem *Luc. 12.*

ignem

ignem Charitatis in Deum, ac proximos per mundum disseminauit. Et quemadmodũ ipse totus ignis erat (quadrãte in eum laude, qua D. Paulum Chrysostomus exornat, vbi ait: *Vt missũ in ignem ferrum totum profectò ignis efficitur: sic Paulus*: nos vero dicere possumus, sic Ignatius (*charitate succensus, totus factus est Charitas*) ita suis, quos sacris expeditionibus destinabat, dicere solitus erat: *Ite, omnia accendite, & inflammate. Nimirum tamquam accensi, & vehementer accensi* (vt D. Bernardi verbis vtamur) & *quibus nõ timeatur à flatu quolibet, aut impulsione ventorũ*

Hom. 3. de Conuers. S. Paul.

Serm. in Nat. S. Io. Bap.

Chri-

Christus aiebat: *Sinite paruulos venire ad me*. Ignatius quoque in templis, & publicis foris incredibili studio ad huius ętatis institutionem incubuit. *Nulla enim* (Diuus inquit Ambrosius) *Dei regno infirma est ætas*.

Marc. 10.

In Luc. cap. 10.

De Christo dictum fuit: *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* quam vero admirationem excitauit Ignatius? qui literarum adhuc rudis, Deo tamē vsus Magistro, librum de diuina Trinitate conscripsit; felices eorum librorum primitias, quos eius deinde posteri lucubrarunt, quibusque Christianæ sapientiæ thesauros locupletarunt.

Ioan. 7.

Chri-

Christus vt cum Satana dimicaret, in Eremũ venit, pugnauit, vicit. Ignatius in Minoressæ solitudine, locisque alijs cũ eodem hoste bellauit sæpius, eumque debellauit, acminis territau it & baculo, tãquam canem; qui, vt loquitur Augustinus, *latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem.*

De Ciu. Dei lib. 20. c. 8.

Christus erat *pernoctans in Oratione Dei*, verãque Deum orandi docuit rationẽ. Ignatius integras noctes cum Deo vigilabat, & secum: atque in libro sacrarũ Exercitationum a se conscripto, ab Apostolica Sede approbato, commendatoque, nouam atque admirabi-

Luc. 6.

rabilem tradidit disciplinam agendi cum Deo, suamque salutem operãdi. Vt ad Ignatium optimè traduci possit, quod de Ioanne Apostolo Ephesinũ Cõcilium pronunciauit, illum appellans: *Astrũ re vera magnum, & apprime illustre, astrum saluberrimum ijs, qui in pietate acquirenda negotiantur*. quod inter alios plurimos expertus est Diuus Carolus Borromęus; qui sacris Ignatij exercitationibus & initium sanctimoniæ suæ, & integerrimæ vitę finẽ fecit.

Cum ante aliquot è discipulis transfiguratus est Christus, *resplenduit facies eius sicut Sol*. Et huius imago Solis Matth. 17.

Ignatius, quasi repercussa luce, refulsit oculis ad cæleſtia perſpicacibus Diui Philippi Nerij, aliorumque Dei famulorum.


Chriſto profeſſus eſt malus Dæmon. *Veniſti huc ante tempus torquere nos.* Atque idem de Ignatio fateri Romæ, Patauijque coactus fuit; nullum ſe in terris habere hoſtem illo infenſiorem. Quamobrem ei quadam nocte dormiēti tam validè guttur obſtrinxit, vt parum abfuerit, quin ei ſpiritum intercluderet, niſi ſpiritus oris eius Ieſus, ab eo imploratus, inimicum cohibuiſſet; qui tamen imbecillitatem ſuam

Matth. 8:

in

in eiuſmodi aggreſſione declarauit. vt enim Diuus ait Chryſologus: *Maximæ infirmitatis indicium eſt, dormientibus irruiſſe.* Serm. 97.

Christus vno verbo, *Sequere me*, Matthæum, lucri antea cupidũ, lucrifecit. Ignatius vna voce; *Mane nobiſcum Iſaac*; peruicacem Iudæum lucratus eſt. Et ſanè pro miraculo habita fuit verborum Ignatij vis, atque efficacitas: ac Beatus vir Franciſcus Borgia illud vſurpare de Ignatio ſolitus erat. *Loquebatur tamquam poteſtatem habens.* Matth.



Si Chriſti pronunciatum erat. *Non quæro gloriã meam.* Io. 8.
Ignatij ſemper operibus, ori,

 cor-

cordi videbatur inſcriptum: *Ad maiorem Dei gloriam.* Quæ perſuaſit eidem, vt fundatam à ſe Religioſam familiã non ſuo, ſed IESV nomine appellaret. Is verò *qui glorificantes ſe glorificat*, vt in publicis de D. Ignatio precibus canit Eccleſia; ita nomen ipſius è tenebris excitauit, vt vel inſcriptum literis, febres, peſtes, lethales morbos, atque ipſos malos Dæmones profligarit. Xauerius autẽ nullam Ignatij nomine digniorem gemmam æſtimabat, quam ad pectus appenderet, ac propè in corde locaret: Siquidem illud inter ſacras reliquias conſeruabat.

Si Christus in Cruce clamauit, & dixit, *Sitio: Vestram scilicet fidem, vestrā salutem*; vti scriptor grauissimus interpretatur: Ignatius salutem sitiens animorum, quid non egit, quid non excogitauit? Vt iuuenem Parisijs impuris voluptatibus mersum inde subtraheret, ipse se nudum hyeme in gelidissimum stagnum collo tenus immersit; ex quo voce horribili, tamquam tonitru iam iam fulminantis Dei, miserum adolescentem deterrens, cupiditatis illi flammas restinxit; cumque ad Pœnitentiæ lauacrum salutare perduxit. *Drog. de Pass. Dom.*

Christus expirauit in Cru-

ce. Ignatius extremo spiritu eas proferre poterat Apostoli voces: *Christo confixus sum cruci*; ob perfectam sui castigationem, vt Chrysostomus explicat; & propter tria religiosa vota ab Ignatio tam seuerè seruata; vt trium instar clauorum eũ indiuiduè tenuerint Christi Cruciconfixum.

AdGal. 2.

Post suam denique mortẽ multis Christus apparuit. Et Ignatius quoque statim ex obitu in hac vrbe Bononiensi, Barcinone, atque alibi, compluribus veneratoribus suis videndum se præbuit lumine circumfusum.

Quin etiam si ad Christi se-

ſepulcrum ouantes plauſerũt Angeli: idem ſupra tumulum Ignatij feciſſe dicuntur.

Quemadmodũ igitur ipſe perfectè ſequutus eſt illud Apoſtoli conſilium: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum;* *Hunc enim indutus* (quæ Chryſoſtomi eſt interpretatio) *omnem ſimul in vniuerſum virtutem habet:* ita liceat mihi Diui Bonauenturæ verbis vti, & exclamare de magno hoc Patriarcha; qui ſupremæ Sapientiæ conſilio, quoniam Societatis IESV Fundator fuit, tantam cum IESV ſimilitudinem præ ſe tulit: *O vere chriſtianiſſimum virum, qui &* *Ad Rõ. 13.* *In vita S. Frãc. cap. 14.*

viuens Christo viuēti, & moriens moriēti, & mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis, & expressa promeruit similitudine decorari.

Iam vero progrediamur ad tertiam propoſitionis partem. Quænam ætas, qui ſexus, quæ hominum conditio, quæ gens, vel barbara, longèque diſiuncta inficiabitur, infinita propemodum eſſe, quæ debet Ignatio? Puerilis ætas Chriſtianæ doctrinæ inſtitutionibus informata, quarum vſum cū immēſo Chriſtianorum hominum emolumento ipſe primus inuenit. Iuuentus in apertis gymnaſijs erudita, efficaciſsimo

inuento ad inſerendã in animis, cũ integritate bonarum artium, pietatem ac morum probitatem. Maturi ætate viri tot in Oratorijs,& Congregationibus, veris Pœnitentiæ, ac vitæ ſanctioris Academijs inſtituti. Tot piæ domus erectæ pro Virginibus, pro conuerſis ad caſtiorem vitam fœminis, pro Orphanis, pro Cathecumenis. Maior templorum cultus, ſacramentorum, concionum, ſacrarum lectionum, piarum exercitationum frequentia, ac veneratio; virtutis exemplum, ac ſanctitatis æmulatio apud alios religioſos Ordines excitata. an non hæc omnia

beneficia zelo, ac pietati debentur Ignatij? de quo possumus affirmare, quod de se Paulus apud Chrysostomū. *Innumerabilia machinari, & excogitare mei est studij, & diligentiæ.*

Homil. 22 in I ad Cor.

Si vero per varias mundi partes oculos circumferamus; Moschouiā, Persidem, Dalmatiam, Libani Montis plagam, Æthiopiam excultas ab Ignatio fructuosissimis missionibus agnoscemus: Germaniam, Poloniam, Galliam, Belgium, Angliam, Scotiam, Hiberniam pluribus locis ab Hæresi propugnatas, ac releuatas Ignatij opera; earumque multas Col-

legiorum; Domorumque
pręſidijs arcibuſque cõmunitas. Indias ad Oriẽtem, atque ad Occidentem ſolem ſitas, locis moribuſque diſiunctiſſimas regiones, omnes in capaciſsimo Ignatij pectore coniunctas: eiuſque, ac ſociorum beneficio ab Ethnica ſuperſtitione, aut a Sede Romana defectione, ad vnum Chriſti ouile, Paſtoremque deductas: adeo vt ſola Franciſci Xauerij Apoſtolica manu millia millium ac bis centena hominum millia fuerint Baptiſmi ſalutaribus aquis abluta.

Verum vt hæc omnia miſſa faciamus; an non infinita

ſunt erga Chriſtianã Rempublicam, ac mundum vniuerſum Ignatij merita, quòd tam præſtantis Religioſæ familiæ Conditor fuit; quæ vel ab ipſis natalibus peculiari voto Apoſtolicæ Sedi obſtricta, inter Chriſtianos, & Ethnicos, tot laboribus, tot cruciatibus, ac periculis cótinéter ac generosè pro Christiana fide bellum gerit? Inſpiciãtur ex hac Societate primi ac nouiſſimi; illud vſurpare de ea licebit, quod in re ſimili ſcripſit Caſſiodorus. *Tot annis continuis ſimul ſplendet claritate virtutis; & quamuis rara ſit gloria, non agnoſcitur in tam longo ſtemmate*

Epiſ. 7. lib. 3.

mate variata: sæculis suis producit nobilis vena primarios; nescit inde aliquid nasci mediocre: tot probati, quot geniti: quod difficilè prouenit, electa frequentia.

Testis esto ingens copia sanguinis ab ijs bellatoribus effusi, quos huiusce Societatis acies eduxerunt. Et vero eorum nouem in Iaponia nuperrimè igni lēto cremari vix dum suum peregerunt holocaustum. *Et segnior fuit ignis, qui foris vssit; quàm qui intus accendit.* S. Leo serm. de S. Laur. Quare mirum non est, huius Ordinis initijs ac progressibus animaduersis; si communis hominum sententia fuit: quemadmodum

dum olim in Africa Diuus Augustinus in lucem prodijt, quo tempore natus erat in Anglia Pelagius: ita planè statim atque Tartareum illud mõstrum, Lutherus, erupit, vt tenebras importaret; singularem Dei prouidentiam Ecclesiæ suæ Ignatium, eiusque aciem verè igneam protulisse. Atque hac ratione *Dei filius belli socium nanciscitur* (quæ Nazianzeni vox est) *Spiritusque hominem, qui pro ipso spiret, inuenit.*

Orat. de S. Athanas.

Quo circa, si aliorum sanctorum hominum virtutes, ac laudes, in sese cõprehendit, & cumulauit Ignatius; & commutatione vitæ similis

Apo-

Apoſtolo fuit: afflictatione corporis Ioannem Baptiſtam eſt æmulatus: animi demiſſione Franciſcum Aſſiſinatem, Aquinatem Thomam caſtimonia, paupertate Martinum ſanctum Antiſtitem, Abrahamum Patriarcham obedientia; ſi ad exemplum Thaumaturgi, magna, & mira patrauit; ſi Deum dilexit multum, vt Magdalena; ſi ſalutis animorum exarſit zelo, velut Apoſtolus; ſi demum (quod caput eſt) adeo perfectè Chriſtum, ſanctitatis omnis, ac perfectionis exemplar, multis virtutibus ſuis imitatus expreſſit: optimo iure cum Diuo Petro Chryſolo-

Serm. 316. go concludemus. *Aperite sensus, corda dilatate, & gremium vestræ mentis extendite: vt quicquid de Cælestibus iste thesaurus vobis largiter effuderit, ad æternam gloriam, & censum perpetem possidere possitis.*

Thesaurum appello Ignatium; quoniam Charitatis in Deum ac proximũ auro purissimo cumulatus fuit; inuictæ fortitudinis adamãtibus locupletatus; sapphiris ornatus tantæ cum Cælo consuetudinis, & familiaritatis, vt tricesies & ampliùs inuisentis Christi Domini, eiusque Genitricis Reginæ nostræ fuerit aspectu recreatus: argenteis tubis Euãgelicæ prædica-

dicationis instructus; cuius gratia de ipso, eiusque socijs dici merito potest. *In omnem terrā exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Psal. 18.

Thesaurus suo sudore, sanguine, lacrymis, pretiosa quauis gemma ditioribus, congestus. *Quid enim, dic oro* (cum Chrysostomo possumus exclamare) *quid oculis illis formosius, perpetuo lacrymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornatis?* Thesaurus denique communis omnibus: quemadmodum Ephesinum Concilium Diuum Ioannem appellauit: *communem orbis terrarum thesaurum.* Concil Ephes. c. 9.

Quod

Quod ſi tantùm Ignatio, quanta quanta eſt, vniuerſitas debet; hodierna luce hac noſtra pietatis & grati animi ſignificatione vnuſquiſque lætetur: cum præſertim cæteris cultus ac venerationis argumentis hoc etiam fortaſſe Diuinæ Prouidentiæ conſilio adijciatur, ad aliquam contumeliam reſarciendam, qua vir ſanctus, hac olim Vrbe iter faciens, male acceptus a nonnullis fuit.


Neque vero dubitemus, quin Petrus Apoſtolus, qui ad Apoſtolica munera deſtinatum Ignatium, iam inde a vitæ melioris initijs tutatus in terris fuit, cum eum le-

thali

thali vulnere ſaucium ſua ipſe manu curare dignatus eſt; ſummo eumdem gaudio iã Cælo donatum, in hoc hodie templo ſuo complexus excipiat: quemadmodum vt illum ipſum in ſuo quiſque corde, amantiſsimo pietatis ſenſu complectatur, opto, ac vehementer oro cunctos, atque hortor: quo fiat, vt qui ſua ſuorumq. filiorum opera, tot animos reuocauit ad Deum, ab eodem precibus impetret, vt *recipiat nos in æterna tabernacula.* *Luc. 16*

AD

AD SACRVM PANEGYRICVM NOTÆ.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TOT mihi linguas esse) *Similem dicendi formam vsurpat Philo Iudæus lib. de Temulentia.* Etiãsi decies mille ora, totidemque linguas (vt Poëtæ loquuntur) vnusquisque affectus habeat; ne sic quidẽ aures viri perfecti poterit perturbare. *Et D. Basilius Homil. de xl. Martyribus.* Quis eorum dignitatem dicendo consequatur? ne quadraginta quidem linguæ tot, tantorumque virorum virtutem satis collaudare queant. *Aristides etiam Sophista in Actione gratiarum ad Serapin.* Ego ne si omnium quidem hominum ora, vocesque possiderem, maximi Dei facta, *Num.* 2

&

& in homines collata beneficia, facilè possem recensere, nisi Dij aliqui reuera sint Orationis meæ duces. *Frequentiùs verò Poëtæ; quorum locos plures enumerant Iacobus Pontanus, & Io. Ludouicus de la Cerda in 6. Aeneid.*

Sacrorum illius ossium, &c.) *Sanctorum hominum exequias ab Angelis quodammodo celebratas: ac præsertim D. Hieronymi, Martini, Agathæ, Catharinæ, Romulæ, Nicolai Rhemensis Episcopi, aliorumque recenset Marcus Marulus de Institutione bene viuendi libro 6. cap. 16. Idem de S. Hilario Pictauiensi Episcopo refert B. Petrus Damiani sermone de Translatione ipsius; additque.* Cùm multorum trãslationes Iustorum sancta veneretur Ecclesia, quæ diligentia procuratæ sunt hominum;

num; quanto deuotionis ſtudio hæc eſt ſolemniter recolenda, quæ facta eſt manibus Angelorum? *Cæſar quoque Cardinalis Baronius, de SS. Diodoro, Mariano, & alijs. Tomo* 10. *Anno* 886.

Studium gratius fore, quàm verba.) *Huc pertinet Ennodij Ticinenſis Epiſcopi locus ex Oratione dicenda Maximo Epiſcopo.* Quis mendicam narrationem æſtimet, quam vota locupletant? ſæpe in facundiæ dotibus pauper inuenitur vena prædicantis; & è diuerſo theſaurus cordis irradiat in egeſtate verborum. Pag. 3.

Ad viuum exprimamus effigiem) *Hæc à Pictoribus ad Oratores trãslata ſimilitudo frequens eſt apud ſacros Oratores. D. Baſilius in Oratione de Gordio*

Mar-

Martyre. Noſtrum artificium ſimile quiddam habet Picturæ, &c. *Et de xl. Martyr.* Res geſtas tum eloquentes homines, tum Pictores frequenter exprimunt: illi ſermone ornantes, hi tabulis lineantes. *D. Gregorius Nyſſ. Orat. de S. Stephano.* Haud importunum fuerit velut in tabula, oratione quaſi ad viuum hoc exprimere certamen. *Nazianz. de Epiſcopatu ſuo ad ipſum Nyſſenum habita oratione.* An nobis accuratos pingendi artifices conuenit imitari; ſæpiuſque colores inducere, quo perfectiorem vobis picturã ſermonis ob oculos exhibeamus? *Videre licet eundem in laudatione Cæſarij Fratris; & Philonem de Ioſepho.*

In ea ipſa exemplaria) *S. Baſilius Epiſt. 1. ad D. Gregorium Na-*

Nazianz. Beatorum virorũ vitæ literis traditæ, velut imagines quædam viuæ Diuinæ Reipublicæ ad bonorum operum imitationem propositæ sunt. *Et paulò post*. Quemadmodum Pictores cum imaginem ex imagine pingunt, frequenter ad exẽplar respicientes, lineamenta inde ad suum opificium transferre contendunt: sic oportet eum, qui studet seipsum omnibus virtutis partibus perfectum efficere, ad Sanctorum hominum vitas, velut ad statuas mobiles, & actuosas oculos intendere; atque illorum bona per imitationem sua facere. *Qui locus hic ad viuum videtur expressus. Breuius, & argutius Ennodius in vita S. Epiphanij Ticinensis Episcopi*. Pingebat actibus suis paginam, quam legisset. *deinde subdit, tamquam explicationis*

gratia. Quid libri docuissent, vita signabatur.

5. Ab eorumdem vitis euoluendis, &c) *Idem euenit Beato Ioanni Columbino Iesuatorum Ordinis Conditori ex lectione vitæ S. Mariæ Aegyptiacæ, vt in eius Beati viri legitur vita. S. Mater Teresia multum è sacris Historijs profecit. notum est, quod de S. Antonij vita narratur à D. Augustino lib. 8. Conf. cap. 6. Philo lib. de Abrahamo*; Easdem *ait* vitas Patrum, & leges Posterorum. *Et S. Isidorus Hispalensis lib. 2. sent. cap.* 11. Si ad boni incitamentum Diuina, quibus admonemur, præcepta deessent, pro lege nobis Sanctorum exempla sufficerent. *S. Basilius Oratione de Gordio Mart.* Virorum, qui benè in Republica versati sunt, historia, velut lux quædam

dam his, qui saluantur, ad vitæ viam præfulget. *S. Isidorus ibidem*. Ad conuersionem, seu correctionem mortalium multum profunt exempla bonorum. Mores enim inchoantiũ non queunt proficere ad benè viuendum, nisi perfectorũ informentur exẽplis Patrum. *Et post pauca*. Ob hanc vtilitatem scribuntur Sanctorum ruinæ, & reparationes, vt spem faciant saluti humanæ, &c. *Plura ibi in eandem sententiam. videre licet ad hanc rem D.Gregorium Magnum in Proëmio lib.1. Dialog., S. Bernardum in Præfatione ad vitam S.Malachiæ; aliosque complures, quorum sententias refert Iulius Nigronius Tract. 5. Ascet. de lect. librorum spirit. præsertim cap. 7.*

Apis more succum alicuius virtutis, &c.) *Eadem similitu-*

ne vtitur ad eandem rem S. Ioãnes Chryſoſt. Homil. 69. in Matthæum. Apes, *inquit*, imitantes, ſacrorum fauos librorum circumuolant, &c. *S. Ephræm Syrus Tomo* 1. *Conſil. 36. de recta viuendi ratione*. Inſtar ſapientis apiculæ mel ex floribus ſibi colligentis; fructum ex ijs, quæ legis, pro animi medela deſumito. *S. Baſilius Paraneſi ad Adoleſcentes*. Quod Apes ex floribus emolumentum percipere cõſueuerunt; id nos ex literis hiſce capiamus, &c. *S. Gregor. Nazianz. in fine Orationis de Machabæis*. Ex antiquis narrationibus, & nouis vndique Apiculæ more fructuoſiſſima colligi cupio in vnius aluearij fœturam, & ſuauitatem.

Conſilium ſequutus Hieronymi.) *Et exemplum Anto-*

nij

nij Anachoretæ: de quo in vita ſcribit Diuus Athanaſius. Ab omnibus Fratribus, ad quos diſcendi ſtudio pergebat, proprias ſingulorum virtutes hauriebat. Huius continentiam, iucunditatem illius ſectabatur, iſtius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi æmulabarur induſtriam, &c. Omnium in ſe bona nitebatur exprimere. *D. Baſilius de Gord. Mart.* Vt audiuimus Moyſis vitã, ſtatim nobis æmulatio eius viri virtutis acceſſit; & morum illa manſuetudo admirabilis, ac prædicanda vnicuique viſa eſt. *Et paulò poſt*. Exhortatio ad tẽperantiam eſt vita Ioſeph; inuitatio ad fortitudinem eſt Sampſonis hiſtoria. *Eadem ferè habet Epiſt.* 1. *ad Gregorium Naz. Iſidor. lib.* 2. *ſent. cap.* 11. Exempla Sãctoruũ, quibus ædificatur homo varias fa-

ne vtitur ad eandem rem S. Ioannes Chryſoſt. Homil. 69. in Matthæum. Apes, *inquit*, imitantes, ſacrorum fauos librorum circumuolant, &c. *S. Ephræm Syrus Tomo* 1. *Conſil.* 36. *de recta viuendi ratione*. Inſtar ſapientis apiculæ mel ex floribus ſibi colligentis; fructum ex ijs, quæ legis, pro animi medela deſumito. *S. Baſilius Paræneſi ad Adoleſcentes*. Quod Apes ex floribus emolumentum percipere cõſueuerunt; id nos ex literis hiſce capiamus, &c. *S. Gregor. Nazianz. in fine Orationis de Machabæis*. Ex antiquis narrationibus, & nouis vndique Apiculæ more fructuoſiſſima colligi cupio in vnius aluearij fœturam, & ſuauitatem.

Conſilium ſequutus Hieronymi.) *Et exemplum Antonij*

nij Anachoretæ: de quo in vita ſcribit Diuus Athanaſius. Ab omnibus Fratribus, ad quos diſcendi ſtudio pergebat, proprias ſingulorum virtutes hauriebat. Huius continentiam, iucunditatem illius ſectabatur, iſtius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi æmulabatur induſtriam, &c. Omnium in ſe bona nitebatur exprimere. *D. Baſilius de Gord. Mart.* Vt audiuimus Moyſis vitã, ſtatim nobis æmulatio eius viri virtutis acceſſit; & morum illa manſuetudo admirabilis, ac prædicanda vnicuique viſa eſt. *Et paulò poſt*. Exhortatio ad tẽperantiam eſt vita Ioſeph; inuitatio ad fortitudinem eſt Sampſonis hiſtoria. *Eadem ferè habet Epiſt. 1. ad Gregorium Naz. Iſidor. lib. 2. ſent. cap. 11.* Exempla Sãctoruũ, quibus ædificatur homo varias fa-

ciunt consectari virtutes: humilitatis ex Christo: deuotionis ex Petro: Charitatis ex Ioanne: Obedientiæ ex Abraham: Patientiæ ex Isaac: Tolerantiæ ex Iacob: Castimoniæ ex Ioseph: Mansuetudinis de Moyse: Constantiæ de Iosue: Benignitatis de Samuele: Misericordiæ de David: Abstinentiæ de Daniele.

6. Mundi Milites ante, quàm Christi.) *S. Gregor. Nyss. Oratione de S. Stephano*. Magnum illud Ecclesiæ instrumentum Paulus ira, minisque à Diabolo armatus, aduersus ipsum armatorem tela vertit, ab omni eum exterminans orbe terrarum. *Huc potest accommodari, quod scripsit de D. Georgio Martyre. B. Petrus Damiani sermone de eo.* De militia translatus est in militiam: & vt reuera strenuus mi-

miles, priùs omnia sua pauperibus tribuens, sarcinam terrenæ facultatis abiecit; sicque liber, & expeditus, ac fidei lorica præcinctus, in ipsam densi certaminis aciem feruidus se Christi bellator immersit. *Ennod. Orat. dicenda Maximo.* Christus milites suos, quos in personam Ducis attollit, inter acies quærit.

De persecutore sectator.) *S. Io: Chrysostom. Homil. in xij. Apostolos.* Prodeat in medium Paulus sapientissimus orbis terrarum Orator, agnus è lupo, è spinis racemus, e zizanijs frumentum, amicus ex hoste. *Et post aliqua:* Ex blasphemo Theologus, ex persecutore Euangelista, ex pyrata Gubernator, ex proditore miles. *S. Augustinus serm. 59. de verbis Domini.* Percussit phreneticum, erexit sa-

nium; occidit persecutorem, viuificauit Prædicatorem. *S. Paulinus Nol. Episc. epist. 10. ad Seuerum.* B. Apostolus ideò cæcatus est, vt illuminaretur: cecidit persecutor, vt Apostolus surgeret.

8. Docere factis, &c.) *S. Hieron. ad Nepot. epist. 2.* Non confundant opera tua sermonem tuum; ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiunijs disputat. *S. Ambros. serm. 76. de Sanctis Martyribus.* Benefacere prima doctrina est. Cessantibus enim verbis, hoc ipsum docet hominem opus optimum, quod videtur: quod etsi voce aures non excitet, virtute tamen corda compungat. Quis enim bo-

num

num factum videns nō gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito magistro vtens eius exemplo doceatur? Dictis igitur facta præcedunt. Imo sine factis dicta nihil prosunt. *Plura ibi de eadem re. S. August. serm. 3. de verbis Domini*. In Doctore molesta est causa dicere, nec facere. *S. Gregor. Pastoral. par. 2. cap. 3.* Illa vox libentiùs auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat. *Tertullianus initio lib. de Patientia.* Dicta factis deficientibus erubescunt. *S. Leo Pont. sermon. in Natiuit. S. Laurentij*. Validiora sunt exempla, quàm verba; & plenius est opere docere, quàm voce. *S. Bernard. serm. 76. in Cantic.* Si Pastor doctus quidem fuerit, non sit autem bonus; verendum, ne non tam nutriat doctrina vberi, quàm

 ste-

ſterili vita noceat. *Beatus Petrus Damiani ſermon. de Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo.* Bonus, & perfectus magiſter (Paulus) qui fidem facit verbis opere meliore. *Guarricus Abbas Igniacenſis ſermone 2. de Pentecoſte.* Suſpecta mihi hæc eſt conſolatio: Si dicam, & non faciam: ſi ſuppetant ſuffragia linguæ, cum deſint merita vitæ. *Ennodius ad Maximum Epiſcopum in Oratione ei dicenda.* Plus agendo populum inſtituis, quàm loquendo. Illa monita diſcipulorum conſcientiam erudierant, quæ præbentur exemplo.

Tali, &c. indui debuit veſtimento.) *Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap.* 10. Saccus eſt indumentum humilitatis. *S. Gregor. Nazianz. in Oratione de laudibus*

bus Gorgoniæ. O ſqualidum corpus, & indumentum virtute ſola florens. *S. Hieronymus epiſtola 4. ad Ruſticum Mon.* Sordidæ veſtes candidæ mentis indicia ſint: vilis tunica contemptum ſæculi probet. *Diuus Paulinus epiſtola 7. ad Seuer.* Nos adeant, & reuiſant conſeruuli & compallidi noſtri; non veſtibus pictis ſuperbi, ſed horrentibus cilicijs humiles; nec chlamyde curta lini, ſed ſagulis palliati; nec baltheo, ſed reſte ſuccincti; nec improba attōſi capitis frōte criniti, ſed caſta informitate capillum ad cutem cæſi, & inæqualiter ſemitonſi, & deſtituta fronte præraſi, & ornatu pudicitiæ inornati, & decenter inculti ſint, & honorabiliter deſpicabiles, &c.

Aſpera, & ſanguinolenta flagella &c. *Similis locus, &* 9.

pœnarũ enumeratio est apud Gregorium Naz:an. in laudat. Gorg. O animam corpus propemodum etiam ſine cibo, velut expers materiæ, retinentem. Vel, vt rectiùs loquar, o corpus ſibi ipſi moriendi neceſſitatem etiam ante mortem imponens; vt libertatem conſequeretur anima, nec a ſenſibus impedimenti quicquam acciperet. *Et poſt pauca.* O tenera membra in terram prouoluta, ſeque aſperè præter naturam exercentia. O lacrymarum fontes præ tribulatione profuſarum, vt in exultatione meſſem faciant. O nocturnum clamorem nubes penetrantem, atque ad Deum peruadentem. *Et apud D. Paulinum ep. 10. ad Seuerum de Melania.* Cui refectio in ieiunio, requies in oratione, & panis in verbo, habitus in panno, lectus in ſagulo & centone du-

rus

rus in terra, &c. & sanctæ animæ in Domino vigilare requiescere est. *Et apud S. Hieron. Ep. 1. ad Heliodorum.* Super nudam metuis humum exesa ieiunijs membra collidere? Sed Dominus tecum iacet. Squalidi capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas te terret? Sed tu Paradisum mente deambula. *Huc etiam facit quod de B. Epiphanio Ticinensi Episcopo scribit Ennodius in eius vita.* Talem bellatrix dextera animæ suæ certaminibus reddebat carnem, vt illi opus esset postea pro necessitate succurri. *quod ipsum de Ignatio narratur in vita. Id. Ennod. de B. Antonio Monacho Lirinen. in eius vita.* Nunciauit virum insignium meritorum facies ieiunij pallore decorata. *deinde:* secreti nitorem hominis splendidissima macies

indi-

indicauit *B. Petrus Damiani ser. 39. de SS. Don. & Hilar. Mart.* Mollioris vitæ latitudinem spreuit (*B. Donatus*), abstinentiæ rigore illecebrosa carnis incentiua calcauit : & ante quam per dignitatem sacerdotalis officij eius prædicaret lingua, prædicabat iam efficaciter sub honestis, & disciplinatis moribus vita. *Et paulò post.* Sulcabat terram suam vomere disciplinæ, vt vber segetum prouentus erumperet, & illucescente cælestis gratiæ radio fertilius germinaret &c.

10. In domibus Regum sunt. *Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 10. hæc verba ita declarauit.* Regias dicit terrenas, mortales, & corruptibiles: vbi est vana honesti opinio, inanis gloriæ ambitio; error, & adulatio. Qui verò aulam cælestem obseruant, quæ est

cir:

circa omnium Regem, incorruptibilem animæ veſtem, nempe carnem ſanctificant, & per eam induunt incorruptionem.

Optaret in fimo ſepeliri.

S.Hieron.Epiſt.26.ad Pammach. Quanto humilior, tãto ſublimior eſt. Lucet margaritum in ſordibus, & fulgor gemmæ puriſſimæ etiam in luto radiat. Hoc eſt quod Dominus repromiſit. Glorificantes me glorificabo(1.*Reg.* 2.) Alij hoc intelligant de futuro: quando mœror vertetur in gaudium, & tranſeunte mundo ſanctorum corona non tranſit. Ego & in præſentiarum video ſanctorum promiſſa compleri. *S.Paulin.Ep.*10,*ad Seuer.*Quam bonum, & vtile ad culturam ſalutis huiuſmodi ſtercus ſit, docemur in B.Iob, qui poſtquam ſedit in ſtercore,tentari deſtitit.

Con-

Consumpserat enim tentatoris inuidiam humilitate perfecta, quæ facilius surgere, quam deijci potest. Quia in fimo sedens, vnde cadat non habet; & habet vnde surgat, per eum qui suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. *S. Greg. Magn. Moral. in Iob l. 3. c. 13.* In sterquilinio sedere est de se vilia quæpiam, & abiecta sentire &c. vbi pluribus docetur, hoc esse maximum humilitatis argumentum. *Beatus Petrus Damian. serm. 2. de S. Seuero Episc. Rauen.* Quid est hoc B. Seuere? tam pauper, tam diues? tam humilis, tam sublimis? tam pannosus, tam gloriosus? apud iudicia humana deiectus, ex diuina prouidentia inuisibiliter sublimatus? Cur te abscondere niteris, qui ad hoc proueheris, vt ad virtutis exemplum omnium oculis pro-

pona-

ponaris? Cur vultus hominum erubeſcis, qui Diuinæ maieſtatis conſpectui præ omnibus placuiſti? *Et paucis interiectis*. Exeat margarita de ſterquilinio, vt in ſummi Regis fulgeat ornamento. Non lateat vlteriùs lucerna ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita omnes, qui in domo ſunt, ſplendoris ſui luce perfundat. Paſce igitur Dominicum gregem, & ſuper ouile Chriſti curam exhibe paſtoralem. *De ſepulcri vero neglectu; Philo lib. de Ioſeph, ſub perſona Iacob*. Viui habent ſuas patrias: mortuorum omnis terra ſepulcrum eſt. *S. Baſil. in fine orat. de* 40. *Mart.* Vos non terra contexit, ſed cælum excepit. *Simile Mecænatis dictum*. Cælo tegitur, qui non habet vrnam. *B. Pet. Damian. ſerm.* 1. *de S. Vitali*. Vbicunque corpus humanum ſepelitur, nõ ideo

 vel

vel minus perfecta, vel minus gloriosa eius resurrectio futura proculdubio creditur. *Hoc denique votũ Ignatij, alterius Ignatij Martyris voto respondet, quod expressit epist. ad Rom.* Magis blandiamini bestijs, vt mihi sepulcrũ sint, & nihil de meo corpore relinquant, vt non obdormiens alicui grauis inueniar.

11. Qui exaltat humiles Deus.

S. Hieron. in Epitaphio Paulæ ad Eustoch. Quæ vnius vrbis contempsit gloriam, totius orbis opinione celebratur. Minima fuit inter omnes, vt omnium maior esset: & quanto se plus deijciebat, tanto magis a Christo subleuabatur. latebat, & non latebat, fugiendo gloriam, gloriam merebatur; quæ virtutem quasi vmbra sequitur; & appetitores sui deserens appetit contemptores

res. S. *Augusł. serm.* 53. *de verbis Domini*. Quid quæris celſiorem locũ appetitu celſitudinis, quem potes apprehendere retentionẽ humilitatis? Si tu deijcis te, Deus eleuat te. *S. Paul. Ep.* 4. *ad Seuer.* Deijciamur a nobismetipſis, vt exaltemur a Chriſto. *S. Proſper in Pſal.* 111. Deus delectatur altitudine humilium, & humilitate celſorum. *S. Greg. Paſtor. par.* 3. Quid elatione deiectius, quæ dum ſupra ſe tenditur, ab altitudine veræ celſitudinis elongatur? Quid autem humilitate ſublimius, quæ dum ſe in ima deprimit, auctori ſuo manenti ſuper ſumma coniungitur? *B. Petrus Damian. serm.* 3. *in Nat. S. Io. Baptiſtæ*. O beatæ humilitatis excelſa maieſtas, quæ dum ſuo iudicio in ima deprimitur, Diuina prouehente clementia, ad cæleſtia ſubleuatur: dumque Deo

ſe

se humiliter subijcit, ad Dei consortiũ excellenter assurgit. *Guarricus Abbas serm. 3. in eodem festo die.* Si non placet humilitas ex sui honestate,& æquitate; placeat saltem ex vtilitate: quia nulla via rectior, aut facilior ad gloriam Diuinam, sed nec ad gratiam humanam vlla pulchrior, aut iustior, & sæpe nulla compendiosior.

Aspersit astra pro floribus.

Similes exitus narrat Marulus l.6.c. 16. De B. vero Epiphanio Ticinensi hæc habet Ennodius in eius vita. Eius sanctæ reliquiæ vsque in diem tertium, quo cum summa veneratione reconditæ dignoscuntur, tanto lumine ac decore vestitæ cunctorum visæ sunt oculis: vt splendorem vitæ vultus signaret defuncti: & depositam gloriam iam nunc percepisse

cepisse

cepisse gloriosum vas crederetur; in quo verè fuit thesaurus magni Regis inclusus.

Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ.) *S. Gregorius Moral. in Iob lib. 29. cap. 15. in ea verba cap. 38.* Quis genuit stellas roris? Stellæ roris ipsi sancti Prædicatores sunt, qui arua pectoris nostri inter mala vitæ præsentis, quasi inter tenebras siccæ noctis arentia, gratia supernæ largitatis infundunt; &c. *Guarricus Abbas serm. 2. in Epiphania Domini*. Lucent nobis stellæ, non vna, sed multæ; nisi quia multæ vna: quarum scilicet cor vnum est, & anima vna, fides eadem, prædicatio consona, similisque vita. Quæ sint hæ stellæ, si dubitas, Danielem interroga. Qui ad iustitiam, &c. Paulus etiam luminaria vocat 12.

eos,

eos, qui lucent in medio nationis prauæ, & peruerſæ, continent que verbum vitæ, tamquam ſplendorem mutuatum ab æterna luce, quo & noctem huius mundi viſi ſunt illuminare, &c.

13 Humilitas cuſtos pudicitiæ.) *S. Ignatius Mart. epiſt. ad Philipp.* Qui caſtus eſt, vel continens, non extollatur, ne perdat mercedem ſuam. *S. Hieronymus epiſt. ad Demetriadem.* Non ſolum putes tuum eſſe, quod tuum eſt, ſed earum, quæ ſuam in te expreſſere pudicitiam (*Matris, atque Auiæ*) & honorabilium nuptiarum, cubiliſque immaculati pretioſiſſimum germinauere te florem: qui perfectos afferet fructus, ſi humiliaueris te ſub potēti manu Dei. *S. Auguſtinus ſerm. 53. de verbis Domini.* Audeo dicere: ſuperbis con-

continentibus expedit cadere, vt in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur. *S. Fulgent. epist. 3. ad Probam de Virginit. cap. 18.* Vt integra permaneat Deo dicata virginitas, sicut custoditur integritas corporis, multò ampliùs custodienda est humilitas cordis. Si qua enim verè Virgo est Christi, non potest Christo, nisi cordis humilitate coniungi, &c. *S. Bernardus Homil. 1. super Missus est.* Pulchra permixtio Virginitatis, & Humilitatis. nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & Humilitas commendat Virginitatem, & Virginitas exornat Humilitatem. *Et paulò post.* Vt placeret Virginitas, Humilitas proculdubio fecit. Quid dicis Virgo superbe? Maria Virginem se oblita, gloriatur de Humilitate: & tu negligendo Humilitatem, blandiris

tibi

tibi de Virginitate? *Respexit humilitatē ancillæ, &c.* Expedit tibi Virginem non esse, quàm de Virginitate insolescere.

14. In carne non estis, sed in spiritu.) *S. Hieronym. in Epitaphio Nepot. epist. 3. ad Heliod.* Omnes, qui in carne, non secundum carnem viuimus, municipatum habemus in cælo. *Idem epist. 7. ad Lætam, de institutione filiæ.* Viuat angelicè: sit in carne sine carne. *Et ad Demetriadem.* In animo virginali, rore cælesti, & ieiuniorum frigore calor puellaris extinguitur: & in humano corpore Angelorum impetratur conuersatio. Quãobrem & Vas electionis de Virginibus se dicit Domini non habere præceptum: quia contra naturam, imò vltra naturam est, &c. in corpore viuere sine corpore.

pore. *S. Paulin. epist. 4. ad Seuer. in verba citata Apostoli.* Subiecta subditæ Deo animæ caro transit in spiritum, non substantiæ commutatione, sed vitæ. *Ennodius in vita B. Epiphanij Ticinens.* In eo domum sibi statuerat Castitas, & Continentia radices fixerat in profundum. Carnem habere, nisi cum se moriturum esse meminerat, nesciebat. *Guarricus Abb. serm. 3. in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ.* Quia Angelus, angelicum officium, vitamque gerens in terris, in carne præter carnem viuens.

Thesaurum studio paupertatis Euãgelicæ muniuit). *Minut. Fel. in Octauio.* Quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria. Animus enim, vt luxu soluitur, ita

E fru-

frugalitate firmatur. *Plura itidem in eandem ſententiam.* *S. Petrus Chryſolog. ſerm.* 28. Eſt virtutibus cognata Paupertas: & ſi Paupertas virtutum parens, virtutum ſocia ſic habetur; ſapere conuenit, quare Chriſtus ad virtutis officiū pauperes ſic elegit. *A contrarijs id confirmat Eucherius Lugdunenſis in epiſt. Paræn. ad Valerianum.* Quædam ſocietas eſt pænè etiam nominis duabus his rebus, vitijs, & diuitijs, &c.

15 Aurum blandiſſimum animæ inſidiat.) *S. Ambroſ. lib. de Nabuthe cap.* 13. Aurum vobis, in quo tanta illecebra erroris eſt, non tam ſua gratia, quàm hominum pœna commendat. *S. Petrus Chryſologus ſerm.* 29. Aurum natura graue, grauiùs fit auaritia nimis. Hinc eſt quod

plus

plus habentem deprimit, quàm ferentem: & vehementiùs aggrauat corda, quàm corpora, &c. Aurum crudelitatis dominus, sæuus hostis, amando lædit, nudat ditando, ipsum etiam captiuat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, suadet fraudes, imperat latrociniũ. *S. Cyprianus epistol. 2. lib. 2. ad Renatum*. Non intelligit miser (*diues*) speciosa esse sibi supplicia: auro se alligatum teneri, & possidere diuitias, &c. *Saluian. Massil. lib. 2. ad Ecclesiam Cathol.* In rebus tantùm necessarijs est salus, in superfluis laqueus: in mediocritate Dei gratia, in diuitijs diaboli catena. *Cassiodorus epist. 1. lib. 12. Variar.* Reginam illam procacium vitiorũ auaritiam fuge; cui cun-

cta crimina deteſtabili deuotione famulantur; quæ dum pectus hominis ingreſſa fuerit, gregatim quoque malefidas cohortes admittit. Ferri non poteſt recepta, quia neſcit eſſe ſolitaria. Agmen habet blandiſsimum. atma ſuſcipit ex talentis: & per dulcedinem ſuperat, quos amara deceptione captiuat.

16 Omnia exuit indumenta.) *Huc poſſent accommodari quæ dicuntur à xl. Martyribus apud D. Baſilium*. Non amictum exuimus, ſed veterem hominem cōcupiſcentiæ deceptione corruptum deponimus. Gratias agimus tibi, Domine, quòd cum iſto amictu ſimul & peccatum exuere licet: quod per ſerpentem induimus, per Chriſtum exuimus, &c. *Guarricus Abbas ſerm. de omnibus Sanctis*. Planè Bea-

Beati, qui proiectis vilibus, sed grauibus sarcinulis huius mundi nolunt diuites fieri, nisi de solo Creatore Mundi; propter ipsum tanquam nihil habentes, & per ipsum omnia possidentes.

(Diuitias reiecit omnes.) *Sanctus Hieronymus epist.* 1. *ad Heliodorum*. Perfectus Christi seruus nihil præter Christum habet, &c. *Sanctus Ambrosius in exhort. ad Virgines*: Ille absconditus cordis homo, qui est pauper sæculo, ipse est diues Deo. *Saluian. lib.* 4. *ad Catholicam Ecclesiam*. Secuturi vocantem Deum, prius vendunt omnia, quàm sequantur. Diuitias enim onerum, atque impedimentorum loco esse ducentes, expeditos se non putant ad sequendum Deum, nisi omnia prius carnalium sarcinarum im-

pedimenta proiecerint, &c. *Sanctus Paulinus epist. 3. ad Seuer.* Quæ nobiscum non intuleramus in hunc mundum, nec poteramus auferre nobiscũ, quasi mutuata reddidimus, nec vt cutem à carne distraximus, sed vt vestem à corpore deposuimus. *Et aliquot interiectis:* Temporalium, quæ in hoc sæculo habentur, bonorum relictio, siue distractio, non decursus stadij, sed ingressus; nec vt meta, sed ianua est. Non enim Athleta tum vincit, cum exuitur; qui ideò nudatur, vt incipiat dimicare, cum legitimè certauerit, coronandus. *Et paulò post.* Ad corripiendam vitæ viam idonei esse non possumus; nisi omnia, quæ in itinere istius sæculi nos impediunt, & retardant, ante obitus nostri vesperam præmittamus. *B. Petrus Damian. Homil.*

mil.2.de S.Bernardo in ea verba. Ecce nos reliquimus omnia. Solemne verbum, magna promissio, opus sanctum, dignum benedictione: relinquere omnia, & sequi Christum. Hæc sunt verba voluntariæ persuasoria paupertatis, quæ monasteria genuerunt, quæ claustra Monachis, Anachoretis syluas copiosiùs repleuerunt, &c. Nec Christum possumus sequi, nisi omnia relinquamus: quia exultat vt gigas ad currendam viam; & oneratus eum sequi non potest. Nemo cum sarcinis enatat, &c. Merito relinquit omnia, qui sequitur eum, qui est super omnia.

Ad aram Obedientiæ mactauit &c.) *Lactant. Firmian. in Epitom. Diu. Institut.* Sacrificium verum est non quod ex ar-

ca, sed quod ex corde profertur; non quod manu, sed quod mẽte libatur. Hæc acceptabilis victima est, quàm de se ipso animus immolat. *Rectè verò Paupertati subnectitur Obedientia: quia; vt loco modo laudato docet B. Petrus Damiani:* Non reliquit omnia, qui retinuit vel seipsum: imo verò nihil prodest sine seipso cetera reliquisse; quandoquidem nullũ aliud onus est grauius homini, quàm homo ipse. Quis enim Tyrannus crudelior, quæ sæuior homini potestas, quàm hominis ipsius voluntas, &c. *Idem serm. 3. de S. Apollin. de Abrahamo filium immolare iusso.* Sufficeret Domino dicere: tolle filium tuum; sed adiungit: quem diligis, Isaac; vt reducta Patri ad aures dilectione filij probaretur, in animo quantus viueret amor Dei; quatenus

tenus audita dilectio filij paternum pectus accenderet; sed rursus exsuperante Diuini amoris flamma, semetipsum Obedientiæ gladio mactans, in ara cordis veriùs immolaret.

Amor est sal omnium virtutum. *Appositè. sal enim incorruptum seruat, quod eo conditur. Et in Prologo Commentar. in Cant. inter Origenis opera; dicitur.* Contra naturam Charitatis est corruptibile aliquid diligere, cum ipsa sit incorruptionis fons. 19

Charitas in Magdalenæ pectore. *S. Paulin. Epist. 4. ad Seuer.* Non vnguentum in illa Dominus, sed Charitatem dilexit, qua pudenter impudens, & piè improba sine opprobrij, & repulsæ metu extraneam sibi domum Pharisæi, non inuitata, illa

vi petulans penetrauit,qua rapitur regnum Cælorum:& tantum verbi cæleſtis eſuriens; non ad opes illius, ſed ad pedes Chriſti cucurrit; ſeque in illis abluit, & cibauit;atque ipſos ſibi pedes ſacrarium,vt ita dixerim, & altare conſtituit. In quibus libauit fletu, litauit vnguento, ſacrificauit affectu.

20 Charitas perſuaſit,vt Martyr. palmam indag. *Alterius æmulator Ignatij Mart.qui ſcripſit in epiſt.ad Tarſenſes.* Paratus ſum ad ignem, ad beſtias, ad gladios, ad Crucem: tantum vt Chriſtum videam Saluatorem meum & Deum,qui pro me mortuus eſt. *Et in epiſt. ad Rom.* Si beſtiæ noluerint me vorare; ego ipſis vim ingeram; ego vrgebo. Ignoſcite mihi:ego ſcio quid mihi expediat. *pluribus ibidem eum teſta-*

testatur ardorem. S. Ambr. in exhort. ad Virgines. Quam bonus est Dominus; pro quo dulces & iniuriæ sunt, & grata mors? Et bene grata, quæ acquirit immortalitatem. *B. Petr. Damiani serm. de S. Petro Apostolo.* Fortiter diligit, qui cum necesse fuerit, pro Saluatoris fide corpus & animã tormentis exponit. Hic est fructus operis, laboris consummatio, probatio dilectionis &c.

Non effectu Martyr, sed affectu. *A D. Nazianzeno in Funebri laudat. D. Basilij, dicitur is:* Citra sanguinem Martyr, & citra plagas victricem coronam assecutus. *D. Hieron. in Epitaph. Paulæ ad Eustochium.* Mater tua longo Martyrio coronata est. non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur; sed deuotæ quoque mentis seruitus 17

immaculata quotidianum Martyrium eſt. *S.Cyprianus in epiſt. 9. ad Martyres Afric.* ſi diem certaminis veſtri de indulgentia Domini pax ſuperuenerit: vobis tamen manet voluntas integra, & cõſcientia glorioſa; *& poſt pauca.* Ad coronam Dei promerendam ſufficit ipſius teſtimonium ſolum, qui iudicaturus eſt. In Dei ſeruis, apud quos confeſſio cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo iudice coronatur. aliud eſt enim martyrio animum deeſſe, aliud animo defuiſſe martyrium &c. Nec enim Deus ſanguinem noſtrum, ſed fidem quærit. *S. Greg. in fine Hom. 3. in Euang.* Quamuis occaſio perſecutionis deſit; habet tamen & pax noſtra martyrium ſuum: quia etſi carnis colla ferro non ſubdimus, ſpiritali tamen gladio

car-

carnalia desideria in mente trucidamus. *S. Bernard. serm.* 30. *in Cant.* Genus martyrij est, spiritu facta carnis mortificare; illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. *Idem serm.* 1. *in Festo die omnium Sãctorum.* Quid sibi vult, quod eadem promissio facta est Pauperibus, & Martyribus; nisi quia vere martyrij genus paupertas voluntaria est? &c. *Id. in sententijs.* Martyrium sine sanguine triplex est: parcitas in vbertate, quam habuit Dauid, & Iob: largitas in paupertate, quam exercuit Tobias & Vidua: castitas in iuuentute, qua vsus est Ioseph in Aegypto. *S. Hieron. epist. ad Demetriad.* Habet & pudicitia seruata martyrium suum. *S. Ambros. lib.* 1. *de Virginibus, de B. Agnete.* Habetis in vna hostia duplex

mar-

martyrium; pudoris, & religionis. *B. Petrus Damiani de S. Alexio*. Nouum martyrij genus nouum præbet in admiratione spectaculum. Martyribus enim carcer erat pœna, catena pressura: isti vero propria domus auratis decorata triclinijs erat materia tentationis. Illos torquebat manus armata carnificum: istum grauius puniebat conspecta quotidie pietas genitorum. &c. *Id. in fine serm. de S. Apollinari*. Vis apertè discere, qualiter in pace Sanctæ Ecclesiæ valeas martyrium inuenire? &c. Ascende tribunal mentis, & temetipsum pertrahe ad iudicium quæstionis. Cogitatio accuset, animus iudicet, pœnitens conscientia, velut carnifex, feriat; lacrymarum riuus, velut vulnus, erumpat. Sic per martyrij similitudinem ad veram peruenies Martyrum

tyrum dignitatem. *Et serm. 3. de eod. Sancto in fine*. Etiam si non vales pro Deo mortem subire, vales tamen vitam Deo placabilem ducere. Magnum quippe est mori pro Christo; sed nō est inferius viuere Christo. Vtrumque enim in statera Paulus æqua lance pendebat, cum diceret: Siue viuimus, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur. &c. *Ad Rom.* 14. Dicis mihi quia nō possum inuenire martyrium: exhibe te martyrio dignum, & martyrij consequeris proculdubio præmium. Non potes sanguinem fundere: potes temetipsum pœnitentiæ telo percutere, & in cordis contritione mactare. &c. *Et quod maximè facit ad Ignatij virtutem; in eodem serm. superius sic habet*. Sæpe multi perfectæ, & laudabilis vitæ viri toto mentis desiderio ad martyrij voluerunt

runt culmen attingere; sed quia Diuina prouidentia aliter sensit, in suo gradu coacti sunt remanere: qui etiamsi nequaquam fuerint per martyrium consummati, a martyrij tamē gloria minimè sunt alieni. *Denique de S. Martino (vt cum eo concludamus, à quo ducta est hæc nota) B. Laurent. Iustinianus hæc habet in sermone de eo.* Sanctorum Collega extitit, & Martyrum consors: cuius animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamē martyrij non amisit. &c. Magnum est hoc martyrij genus, vltro se pro Christi honore dare periculis. *Et post aliqua.* Toties martyrij promeruit palmam, quoties se inimicis fidei disputando opposuit. *deinde.* Erat planè & hoc singulare martyrium, vt cum infirmantibus pariter infirmaretur. &c.

&c. Audi ſine ferro Martyrem ex ſola Charitate morientem. Quotidie morior (inquit Paulus) propter gloriam veſtram. *Ad extremum*. Meritò ſancto huic martyrij non eſt deneganda corona: qui Eccleſiarum curam gerens, ac proximorum ſalutem zelans nec mori timuit, nec viuere recuſauit. *Quæ omnia quam aptè accommodentur Ignatio, nemo non videt.*

Cæleſtes orbes, atque aſtra contemplans. *S. Baſil. orat. de S. Iulitta*. Nox tibi noua precandi Numinis argumenta ſubijciat. Cum cælum ſuſpicis, & in ſiderum pulcritudinem intueris; rerum aſpectabilium Dominum roga, & optimum huius vniuerſitatis opificem Deum venerare *S. Paulinus epiſt. 4. ad Seuer.* Omnia ſub ſole vanitas. Proinde

de ſuper ſolem veritas. Ita qui in veritate conſiſtunt, etſi intra mundum viuant habitatione corporea, tamen ſupra mundum ſunt conuerſatione cæleſti: & aſtrorum choros, vel cælorum polos euolãtes ſpiritu ſcandunt, & ſuperuadunt, celſioreſque elementis agunt. &c. *B. Laurent. Iuſtin. ſerm. de S. Martino.* Oculis aſpiciebat iu cælum, vbi cordis ſui repoſitũ ſciebat eſſe theſaurum. Eſt enim Chriſtus Dominus humilium theſaurus, pauperumque diuitiæ.

Heu quã ſordet terra, &c. *S. Paulin. ead. epiſt.* Apoſtolus obduci aciem noſtram huic mundo, & enubilari Chriſto docens; ſollicitat nos ab aſpectu præſentium in ſuſpectum æternorum. *Guar. Abb. ſerm. 4. de S. Benedicto.* Fit vt nihil reputentur temporalia

poralia, ſi præ oculis habeantur æterna. *Multa in hanc ſentẽtiam Seneca initio Natural. Quæſt.*

Charitas illum a ſenſibus abalienans. *S. Ambroſ. lib. 3. de Virg.* Influentibus Diuinis, corporeus peregrinatur affectus, & vſus ille exterioris hominis exoleſcit. *Id. in exhortat. ad Virg.* Anima tua Chriſtum ſequatur, diſcedat a cubili ſuo, &c. Peregrinetur a corpore, vt Deo adſit: quoniam cum eſt in corpore, peregrinatur a Domino. *S. Eucherius lib. de laud. eremi.* Silent omnia. Tunc in Dominum ſuum læta mens quibuſdam ſilentij ſtimulis excitatur: tunc ineffabilibus vegetatur exceſſibus. &c. *S. Io. Damaſc. Orat. de Transfigurat. Domini.* Qui ad ſummum Charitatis verticem peruenit, quodãmodo a ſe excedens, eum, 21

qui cerni nõn poteſt, perſpicit, & & corporeæ nubis caliginem mentis luminibus officientẽ præteruolans, atque in animæ ſerenitate conſtitutus, in Iuſtitiæ ſolem liquidiùs oculos defigit; tãmetſi nõ prorſus huiuſmodi ſpectaculo expleri queat. &c.

22 Columba pro ſigno dilectionis. *Clem. Alex. lib.* 2. *Pædag. cap.* 7. Amantium corda ſunt volucria. *S. Ambroſ. lib.* 3. *de Virg.* Habet alas anima ſuas, quibus ſe poſſit leuare de terris. *S. Cyprian. de vnit. Eccleſiæ.* Hæc eſt in Eccleſia noſcenda ſimplicitas; hæc Charitas obtinenda, vt columbas dilectio fraternitatis imitetur.

23 Amore in Deum metiri Charitatem in prox.) *S. Paulin. epiſt. ad Seuer.* Spiritualia car-

carnalibus intuentes, facilè colligimus ex dilectione perspicua, quàm Fratri, quem vides, exhibes; cælestem illam, fidelem, atque perfectam, qua Deum, quem non vides, diligis.

Ac si cuiusque Parens.) *Sanctus Hieronymus ad Saluin. de Viduitate*. Pro officio Sacerdotij omnes Christianos filiorum loco diligimus: & profectus eorum nostra est gloria.

Nihil imperiosius Charitate.) *S. Augustinus serm. 53. de verbis Domini*. Sola Charitas est, quæ vincit omnia: & sine qua nihil valent omnia: & quæ vbicumque fuerit, trahit ad se omnia. *Idem sermon. 47. de Tempor.* O Charitas quàm magnas vires habes! de Cælo Deum deposuisti. O chara Sanctitas,

ctitas, o ſancta Charitas: quæ tanta es in terris, quanta eris in Cælis? Quæ tantùm potes in hac pugna mortalitatis adhuc ſollicita, quantum poteris in illa perfecta pace ſecura?

Dignus ſim, quem oderit mundus.) *Sic alter Ignatius in epiſt. ad Ephesios*. Beatus, qui abiectus, & reprobatus fuerit propter nomen Domini. ipſe etenim verus eſt Chriſti. *Et ad Romanos*. Nolo vos homini placere, ſed Deo. *Et paulò poſt*. Chriſtianitas eſt, quæ odio habetur à mundo, amatur a Chriſto: quia non eſt ab hominibus, ſed a Deo. *S. Paulin. epiſt. 6. ad Seuerum*. Offenſio talium (*quorumdam ſæcularium*) optanda nobis eſt: quoniam de eorum opprobrijs, ac maledictis naſcitur illa merces, quam copiosè

pioſè Deus promiſit in Cælis. *S. Bernardus lib. 2. de Conſideratione ad Eugen.* Malo in nos murmur hominum, quàm in Deum eſſe. Bonum mihi, ſi dignetur me vti pro clypeo.

Vniuersè beneficus fuit.) 25
S. Leo ſerm: 10. de Quadrageſima. Si Dilectio Deus eſt: nullum debet habere terminum Charitas; quia nullo poteſt claudi fine Diuinitas. *Beatus Laurentius Iuſtinianus ſermone de S. Andrea.* Eſt inquieta res amor, non contenta limitibus, ſingularitatem non patiens; nũquam dormitans, ſemper operans, euidentiſsimis per ſe manifeſtata indicijs, quæ neſcit medium perſonarum, &c.

Eſtote perfecti, ſicut Pater 28
veſter.) *S. Gregorius Nyſſenus Orat.*

Orat. de Pueris præmaturè mortuis. Homo à Deo factus eſt, vt eſſet Diuinæ virtutis animatum quoddam ſimulacrum.

Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.) *S. Auguſt. ſerm.* 238. *de Temp.* O homo; multum eſt ad te, imitari Dominum tuum: attende Stephanum conſeruum tuum, &c. *S. Paulin. epiſt.* 5. *ad Seuer.* Imitando imitatorem Chriſti, perueniemus ad imitationem Dei; cuius bonus odor ſumus. *Guarric. ſerm.* 2. *in Epiph. Domini*. Suſpicite, & intendite mentis oculos, ſi necdum poteſtis in rotam ſolis, ſaltem in fulgorem ſiderum: admiramini ſplendorem Sanctorum, imitamini fidem, æmulamini ſanctitatem. &c.

Lacry-

Lacrymæ virtutem habuere Baptiſmatis.) *S. Io. Chryſoſtomus Homil. 6. in Marcum, in eum Pſalmi locum*. Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Quoniam lauaſti me per lacrymas meas; lacrymæ meæ, & pœnitentia mea mihi fuerunt pro Baptiſmate. *S. Gregorius Nazianzenus Oratione in ſancta lumina, poſt recenſita quatuor genera Baptiſmatis, addit*. Quintum locum tenet lacrymarum Baptiſmus; verum aſperior eſt, & laborioſior; quo perfunditur ille, qui per ſingulas noctes lectum, ac ſtratum ſuum lacrymis lauat: &c. *S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Offic. Eccleſiaſt. cap. 24. enumerat hæc tria Baptiſmata*. Vnum, quo regeneramur ex aquæ lauacro: aliud, quo conſecramur in ſanguine: tertium Baptiſma lacrymarum.

Anastasius Synaita in vj. Psalmum. Quod opus habetur in Auctario Bibliothecæ Patrum. Quemadmodum per aquam, & spiritum: sic per aquam lacrymarum, & ignem, atque æstum compunctionis baptizamur, ac purgamur, Spiritus etiam sancti participes effecti. Non enim aut Baptismus, aut vera lacrymarum compũctio sine Spiritu sancto vnquam dari solet. *Et paulò post*. Per lacrymas vel ad senectam vsque, & extremum spiritum quotidie baptizari, iterumque purgari possumus. *Sanctus Hieronymus epist.* 10. *de Viduitate*. Meretrix illa in Euangelio baptizata lacrymis suis, quanto fœdior, tanto pulchrior. *De eadem Paulinus epist.* 4. *ad Seuerum, sub Ecclesiæ typo, cuius agnoscit in ea Sacramenta*. Omnia in semetipsa mysterij saluta-

ris

ris insignia gessit: vncta est Chrismate sui muneris: Pœnitentiæ lacrymas habuit in lauacrum; viscera Charitatis in sacrificium: & ipsum viuum, viuificantemque panem manibus, & ore præsumpsit, &c. *Beatus Petrus Damian. serm. 1. de Sancto Vitale, verba illa Ecclesiastici 34.* Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid prodest lauatio eius? *sic exponit:* Baptizatur à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato: sed post Baptismum mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit. *S. Bernardus serm. 1. in Octaua Pascha.* Est Baptismus aliquis in compunctione cordis, & lacrymarum assiduitate. *Et.* Baptismi Sacramentũ quoniam iterari non licet his, qui sæpiùs in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri.

31 Ad homines piſcandos.) *S. Petrus Chryſologus ſerm.* 28. Captores piſcium, ſed piſcatores hominum iam decreti, &c. vt vitalis eſcæ iactu, vt hamo cæleſtis verbi de mortis gurgite animas ad lucem tollerent ſempiternam, &c.

32 Ite, omnia accendite.) *Sanctus Proſper in Pſal.* 203. *ad ea verba:* Qui facis Angelos tuos ſpiritus: & miniſtros tuos ignem vrentem. Spirituales quique in Eccleſia, ſpiritus appellantur: qui fiunt Angeli, cum fiunt Prædicatores, & nuncij veritatis. Iidemque ſunt ignis, cùm feruent ſpiritu; & eos, quos exhortantur, accendunt: duplicem habentes efficientiam; vt & illuſtrent animos, & adurant; cum eàdem vi, & ardorem vitijs inijciunt, & peccatorum

ſpi

ſpinas, tribuloſque conſumunt.

Deo vſus magiſtro.) *S. Hieronymus epiſt. 13. ad Paulinum.* 33
Phariſæi ſtupent ad doctrinam Domini: & mirantur in Petro, & Ioanne; quomodo legem ſciant, cum literas non didicerint. Quicquid enim alijs exercitatio, & quotidiana in lege meditatio tribuere ſolet, illis Spiritus ſanctus ſuggerebat.

Vt cum Satana dimicaret, 34
in eremum venit.) *S. Eucherius de laudibus eremi.* Supplantatorem veteris nouus Adam repulit. O laus magna deſerti: vt diabolus, qui vicerat in Paradiſo, in eremo vinceretur.

In libro ſacrarum exercitationum.) *S. Gregorius Nyſſenus de S. Baſilio.* Totius propemodum Orbis terrarum pater

extitit per ſpirituales labores, & partus eos, qui per ipſum ad Chriſtianam pietatem formentur, in lucem producens. *S. Eucherius vbi ſuprà.* Feruent in eremo conſcriptæ interioris hominis ſalubriter leges, & æterni ſæculi iura ſubtiliùs.

38 Ad maiorē Dei gloriam.) *S. Cyrillus Alexandr. Homil. 4.* Sanctorum ſcopus eſt laudare & glorificare Dominum. *Guarricus ſerm. 3. de Sancto Ioanne Baptiſta.* Fidelis amicus ſponſi magis amator Domini, quàm ſui, ſe minui, vt ille creſceret, optabat, & de minoratione ſui gloriam illius augere ſatagebat. *& poſt pauca.* Ideò nimirum magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, in Ieſu tuo Domine; cuius iuſtitiæ, & bonitatis eſt diligentes ſe diligere, & glorificantes

ſe

ſe glorificare. Magna prorſus gloria eius in Ieſu, magna à Ieſu, qui & apud ſe glorificauit eum conſortio gloriæ ſuæ, & apud homines teſtimonio vocis ſuæ.

Chriſto confixus ſum Cru- 40
ci.) *S. Ignatius Martyr*. Meus amor crucifixus eſt, & non eſt in me. *Sanctus Leo ſermone 7. de Quadrageſima*. Pia vita Sanctorum nũquam aliena eſt Crucis Chriſti: dum continentiæ clauis deſideria carnis configit, & corporeas cupiditates virtute ſpiritus in ſe habitantis interficit.

Regiones in Ignatij pe- 45
ctore coniunctas.) *S. Dionyſius Areopag. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 3.* Deus ignis inſtar in terram veniens omnia connexuit,

xuit, & secum iunxit. *Idem de Diuinis nominibus cap.* 4. Amoris verbum vim habet faciendi vnum, & colligandi, præstantiquè modo res inter se miscendi. *S. Hieron. in epitaphio Nepot.* Charitas semper viuit in pectore. Ob hanc per tanta terrarum spatia diuisos vtraque complectitur manu.

LAVS DEO.



